

mores & emolumenta Philosophiæ, in
linguæ verborumque artes conuertant,
& vitia facundissimè accusent, ipsi vitiis
madentes.

VIRGILIUS.

INter exempla sapientiæ, cernens Afra-
nium temperare mihi nequeo, quo mi-
nus vnum quoque de tam multis nostri
Poëtæ figmentis & illustribus dictis an-
numerem. In illa etenim horrenda nocte
Troiani excidij, per quam non ineptè
quidem intelligitur humanæ vitæ status,
falsus quidem ac breuibus gaudiis illu-
sus & velut somno fœlix, mox vt exper-
gisci cœperis tenebris atque horrore ob-
litus, inter innumerabiles miserias ac la-
bores & pericula vrgere, cum lachrymis
ineluctabilem interitum: In illa, inquam,
nocte AENEAM ipsum suum, per hostes ac
flammas errantem fecit, sed donec lateri
genitrix Venus affixa est caligantibus o-
culis securum, at vbi primum illa digre-
ditur, purgatis luminibus viri fortis, ira-
tas facies Deorum apparuisse, subiungit:
qua in re more Poëtico magnæ sapien-
tiæ recondit arcanum, quin & experi-
mento compertum, & magnorum ho-
minum auctoritate testatum est ab aspe-